1530. ẏ 15. Martij—

Laurentius Cardinalis S. Quatuor
Regni Poloniæ Protector.

Sigismundo 1.º Regi Poloniæ

30

Serenissima Regia Maiestas humill: commendationem. Sicut nullum bellum est exitialius, quam quod a domesticis et propinquis fuerit illatum, ita Princeps maxime Cavere oportet nequid insidiarum et occulti veneni in corpore suorum Regnorum resideat, neve aliquid monstri intra sinum et viscera nutriant. Qua propter cum Procurator Fisci Pontificij ad cuius officium spectat noscere et quae turpitos flagitiosaque fuerit ubicunque locorum qua Christiana religio diffunditur patrentur, multa impunitaque permaneat, ad Pontificem et sacrum collegium nuper detulisset publicis rumoribus et quibusdam indicijs et coniecturis sibi innotescere archiepiscop: Gnesnen: auxilium Consilium et favorem Turcarum Tyranno, seu quod tantitudinem valet nepotibus suis illi pesti adhærentibus præstitisse ad ipsius fiscalis querelam et postulationem adversus eundem Archiepisco.

archiepisc: sancitum fuit decretum, quod monitorium appellat, ut ad tempus in eo praefixum iudicio sisteret seque ab obiecto crimine palam expurgaret ac insontem ac innocuum ostenderet alioquin adversus eum tanquam contumacem, et ipsa Pontificia detractantem iura, ageretur etiam ad mulctam et sacerdotii privationem. Pontifex autem mihi demandavit ut huiusmodi decretum ad maiestatem vestram perferendum curarem ut in eius sit potestate, prout rebus suis magnis conducere videtur monitorium hoc ipsum eidem archiepisc: insinuari facere et insinuatum pro reliqua suo ordine agantur, quam primum ad Curiam remittet. Quidquid autem maiestas vestra super eo negotio statuendam duxerit mearum partium erit eiusdem ut Regis Sapientissimi et cui jam pridem obsequia mea devovi ac dedicavi, studio voluntateque obtemperare. Quae felicissima ac invictissima valeat. Dat. Bononiae die 15 Martii anno Domini MDXXX.